



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Iu dex potest dupliciter in iudiciis offendere

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

## Iudicis peccata. 387

ministerio, &c.) & quod tolerentur in officiis publicis. Primum enim horum periculum habet annexum subuersionis: inxta illud Apostoli: modicum fermentum totam massam corrumpit: & propterea inhibitu est. Secundum autem derogat dignitati fidei, & idcirco est interdictum. Quaedam autem si absque contemptu non sunt seruata, ex incuria aut aliqua causa rationali, saltem secundum transgressorum iudiciu, tolerari possunt ut cenasse cum eis, aut balneatum simul esse, vocasse ad curam ægritudinis, & similia. Spectandum siquidem est ad tria. Primo, ad obedientiam, cui non contrauenitur si desit contemptus. Secundo, ad finem præcepti, qui est, ne fides fidelium periculo corruptionis exponatur, contra quem fieret, si familiaritas, aut illorum super Christianos præfectura quælibet permitteretur.

Tertio, ad alium finem præcepti. scilicet dignitatem fidelium seruandam: contra quam fieret, & per illorum officia publica & per azymorum illorum comestionem, & per conuiuia, ipsis enim tanquam diuina profitentibus nostra abominantibus, Christiani quasi prophanos se exhiberent, illis deferendo. Et omnibus consideratis secundum diuersitatem temporum, locorum, & personarum est iudicandum, saluando semper per tria prædicta.

*In dex potest dupliciter in  
iudiciis offendere.*

**I**udicis peccata sunt in duplici differentia, quaedam inique sunt contra diuinum vel naturale ius: quaedam contra ius positum. Et peccata quidem iudicis prima principalia sunt quinque. Primum est, iudicium iniustum in toto vel in parte. Secundum est, iudicium temerarium, quando sine sufficientibus testibus, documentis & iuris ordine quò ad necessaria



## 388      Iudicis peccata.

iudicat, etiam si eueniret inde sententia iusta: quia non debet iudicare nisi ex sufficientibus ad iudicium. Tertium est iudicium vsurpatū, quando vel non sibi subditam personā, vel opus non sibi subditum (puta occultum) iudicat. Quartum quasi extra iudiciale est iniusta remissio poenae: quando scilicet iudex etiam si princeps fuerit, relaxat poenam homicidii, mutilationis, latrocinii, & huiusmodi in damnum reipublicae, aut partis. Magnum siquidem reipubl. nocumentum communiter inferetur, quum mali impunes euadant, quia crescunt mali: & qui sunt mali aut ad malum proni, audent perturbare, vulnerare, occidere, &c. Nec excusat communicatio poenae in pecuniariam, nec pax à parte habita, quoniam princeps est custos iusti: ita quod absque rationabili causa utens huiusmodi vocatis clementiis peccatum mortalissimum incurrit, inò reus est homicidiorum, &c. consequentium. Quintum est, negatio seu dilatio iustitiae praesertim petita. Dico autem praesertim petita: quia tenetur etiam nō petitam iustitiam facere, vigilando & inquirendo, ac purgando Rempublicam malis hominibus punitionibus. Sed tantò grauius peccat petitam negando, aut procrastinando iustitiam: & tenetur de expensis & damnis illorum quibus negatur vel differtur sine rationabili causa. Et quodlibet horum quinque est peccatum mortale, quia est iniustitia: quae ex suo genere est mortale peccatum. Annexae autē peccata sunt innumera iuxta multitudinem causarū, quae possunt iudicem inducere ad aliquid dictorū. Potest namq; ex odio vel vindicta, ex avaritia, ex amicitia alicuius, ex ambitionem, ex ignorantia culpabili, ex timore mundano, &c. incurrere haec peccata. Ex positio autem iure, siue canonico, siue civili, siue municipali, tot incurrūt peccata, quot transgrediuntur prohibita. Quae nō tenetur confes-

for



## Iudicium temerarium. 389

for scire, sed ipsi iudices tenentur scire quæ spectant ad officium suum. Et propterea ipse seipsum prober, si est iudex ordinarius, si violauit quæ sunt ordinarii. Et si est iudex delegatus, si violauit quæ sunt delegati: puta petere aut recipere præter esculenta paucorum dierum, expensas in casu: quia Ecclesiasticus tenetur restituere, de rescript. in vi c. statutum. & cum ab omni. de. vi. & honest. cleric. Secularis autem non potest præter esculenta plusquam quatuor aureos recipere: si causa excedit centum aureos, ut ciuiles leges statuunt. Sed hæc sint exempli causa dicta, ipsi de seipsis loquantur.

*Temeritas in iudiciis euitanda est, et potest  
ueri in peccatum.*

**I**udicium temerarium (quo homo quicumque sine sufficienti certitudine iudicat proximum de animo seu intentione) peccatum est, quia nemo debet diffinitiuè asserere etiam in suo corde quod nescit, in præiudicium præsertim alterius. Et si iudicat proximum de peccato mortali peccat mortaliter: quia sine sufficienti causa despicit proximum, & in corde suo dat illi iniuriosum locum absque rationabili causa. Si autem iudicat de peccato veniali, aut de mortali, non asseritiuè in corde suo determinat, quamuis credat firmiter & temerariè, non peccat mortaliter: quia non diffinitiuè iudicat, sed venialiter, magis & minus grauiter iuxta qualitatem signorum æstimandi, & affectus malè dispositi. Vbi quoque pro timoratis conscientis, memento discernere inter iudicium operis, & iudicium personæ. Nam si quis non plus sciens audit aliquem maledicentem (puta in mala hora) aut videt aliquem exercentem aliquem turpem actum, & credens actus huiusmodi esse secundum se peccata mortalia, iudicat illos peccati mortalis, non incurrit

A a s

peccatum